



# Dissertatio obstetricio-medica inauguralis continens historiam eorum, quae ultimo biennio in Tococomio Academico observata fuerunt

<https://hdl.handle.net/1874/313265>

2

DISSERTATIO  
OBSTETRICIO-MEDICA INAUGURALIS

CONTINENS

HISTORIAM EORUM, QUAE ULTIMO BIENNIO

IN

TOCOCOMIO ACADEMICO OBSERVATA  
FUERUNT.



DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA INAUGURALIS

CONTINENS

HISTORIAM EORUM, QUAE ULTIMO BIENNIO

IN

TOCOCOMIO ACADEMICO OBSERVATA FUERUNT,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI EGBERTI VINKE,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus,**

SUMMISQUE IN

MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

ARNOLDUS FRANCISCUS VERHOEFF,

RENO-TRAJECTINUS.

A. D. XVII M. JUNII A. MDCCCLIV, HORA V.



TRAJECTI AD RHENUM,

APUD I. E. BOSCH ET FILIUM ET VIDUAM P. MUNTENDAM ET FILIUM.

MDCCCLIV.



PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS,

PRAECEPTORIBUS

AESTUMATISSIMIS

*SACRUM.*



## INTROITUS.

---

Quum mihi ut aliis curriculo academico peracto acciderit sors specimen quoddam conscribendi ut summos in Medicina capere honores possem, diu mihi defuit idoneum argumentum. Multa jam mihi in mentem venerant et aequae multa rejecta, donec tandem Vir Clarissimus VAN GOUDOEVER, Chir. et art. obst. in hac Academia Professor, Promotor simul aestumatissimus, mihi cum per annum fere sub ejus auspicio Tococomio academico praefuissem, auctor fuerit ut historiam conscriberem eorum, quae ultimo biennio in eo Tococomio observata sunt, eo magis cum etiam priori anno majori partium absolutorum numero interfuissem. Libens occasionem arripui, nam etiamsi argumentum ad disserendum in genere minus idoneum esset, valde tamen mihi arrisit cogitatio ut de iis scriberem, quibus aut adstiteram, aut quae ipse perfeceram. Etsi in conspectu meo non multa

inveniantur, quae memoratu dignissima sunt, tamen aliqua adsunt me judice peculiari mentione haud indigna. Probe mihi persuasum est me hunc libellum conscribentem scientiae nullo nomine profuturum esse, bene quoque scio multa in descriptione mea desiderari, spero tamen fore ut benevolus Lector, si quis habeat libellus, mihi scribendi non consueto ignoscat.

## CAPUT I.

### CONSPECTUS GENERALIS.

Duorum annorum spatio (1852—54) in Tococomio Academico 156 feminae partum terminaverunt, dum insuper 14 gravidae, quibus partum in eo peragere concessum erat, vel domi vel alibi pepererunt.

Nonnullae harum seminarum jam durante graviditate in Tococomio vel in Clinico chirurgico aliquod tempus degerant, quarum tres syphilide coruptae erant, dum una ingentem maculam corneae habebat, quarta haematuriam accusabat, de qua vero, dum in Clinicum recepta erat, non amplius patuit; quinta denique propter haemorrhagiam e vagina, quae satis vehemens fuerat, recipiebatur.

Ceteroquin multae per aliquot dies aut diutius ante partum in Tococomio recipiebantur, dum ceterarum plurimae vel quavis hebdomade vel duabus

praeterlapsis septimanis sese ostendeant, ita ut graviditatis decursum ut plurimum observare potuerimus. Omnes mulieres, undecim exceptis, graviditatem ad terminum duxerunt; tres gemellos, una trigeminos produxerunt, ita ut 161 infantes nati sint. Horum infantum 9 jam plures uti ex pulsatione deficiente et post partum ex epidermidis solutione dijudicari poterat, mortui erant; 9 durante partu moriebantur, dum insuper 8 brevi post partum diem supremum obierunt, et quidem 3 gemellorum, 2 trigeminorum, sextus infans debilitate universali, septimus enterocolitide, octavus trismo et tetano insequente universali mortui sunt. Horum 161 infantum 135 sani Tococomium reliquerunt, plures vero eorum post brevius longiusve tempus variis morbis, vel negligentia obierunt.

Quod attinet ad menses, quibus hi partus peracti sunt, sequenti ratione divisi erant:

Jan.	7.	6.
Febr.	9.	6.
Mart.	12.	10.
April.	5.	14.
Maji,	4.	8.
Jun.	5.	10.
Jul.	7.	11.
Aug.	2.	2.
Sept.	5.	2.
Octob.	3.	3.
Nov.	7.	6.
Dec.	9.	3.

Feminæ nuptae 24 in Tococomio partum peregerunt, harum 6 primiparae erant, 10 secunda, 2 tertia, 2 quarta, 1 quinta, 2 septima et 1 nona vice pariebant.

Omnium gravidarum parturiebant

prima vice	77.
secunda	48.
tertia	13.
quarta	11.
quinta	2.
sexta	1.
septima	3.
nona	1.

Gravidarum aetas sequens

infra 20 aetatis annum	1.
a 20 usque ad 24	" 55.
" 25 "	" 29 " 59.
" 30 "	" 34 " 23.
" 35 "	" 39 " 14.
" 40 "	" 44 " 4.

Primipararum quatuor tantum aetatis vitam tricesimam superaverant.

prima .	32 annos nata
secunda	33 " "
tertia	37 " "
quarta	43 " "

De iis, quae 25 aetatis annum nondum attigerant, 2 tertium et 10 secundum peragebant partum, dum una 19 annos nata primipara erat.

Anno 1852 nulla puerperarum mortua est, duae tamen postquam sanae Tococomium reliquerunt, post aliquot dies redierunt cum peritonitidis symptomatibus. Ambae in Clinico interno receptae atque sanatae sunt. Posteriori vero anno duae puerperae endometritide correptae diem supremum obierunt.

Puerorum 91 masculini 70 feminini generis erant. Ut semper etiam nunc statim post partum peractum variae dimensiones annotabantur, ut etiam pondus.

Unius infantis pondus  $9\frac{1}{2}$  lb, trium 9 lb erat. Minimum pondus viventis infantis 3 lb erat.

Gemellorum pondus erat . . .  $4\frac{3}{4}$   $6\frac{1}{2}$   
 $3\frac{3}{4}$  4  
3  $3\frac{1}{2}$

Trigeminorum duo priores pondus habebant 4 et  $5\frac{1}{2}$  lb, dum tertii infantis pondus non annotatum est, quandoquidem ad maturitatem non pervenerat.

Medium omnium infantum pondus erat 6—7 librorum.

Puerorum longitudinem quod attinet maxima erat 20, minima 15 pollicum. dum 17—18 pollices ordinatam longitudinem dicere possumus.

Dimensiones variae sequentes erant:

Dimensio magna obliqua . . . . . 5" 1"

(a mento ad minorem fonticulum).

" recta . . . . . 4" 4"

(a nasi radice ad partem occipitis plurime prominentem).

Dimensio perpendicularis . . . . .	3"	6"
(a vertice ad foramen occipitale magnum).		
" transversa major . . . . .	3"	6"
(intra tubera parietalia).		
" transversa minor . . . . .	3"	
(intra processus zygomaticos).		
" obliqua dextra . . . . .	3"	10"
(a tubero parietali dextro ad originem processus zygomatici sinistri).		
" obliqua sinistra . . . . .	3"	10"
(a tubero parietali sinistro ad originem processus zygomatici dextri).		

Distantia humerorum . . . . .	4"	6"
" trochanterum . . . . .	3"	4"

Ad vitia infantum congenita referri possunt naevus maternus in clune sinistra in uno casu; in altero crus atrophicum dextrum et defectus digitus unius manus dextrae, dum praeterea cicatrices variolarum ut videbatur aderant; in tertio exanthema quoddam pustulosum, quoad formam cum varicellis vel exzematate impetiginode conveniens.

Placentae abnormitates non visae sunt, uno tantum casu excepto, in quo placentae parvae, anaemicae pars uterina quae dicitur plurimis in locis ossificata erat, dum facile lamellae cartilagineae detrahi poterant, quae in massam granulosam, facile digitis redigebantur.

Placentarum pondus circiter libri unius erat, dum funiculi insertio

in 52 casibus centralis,

in 81 casibus excentrica,  
24 " marginalis,  
1 casu velamentosa erat,  
Funiculi longitudinem quod attinet  
longissimus 32  
brevissimus tantum 12 pollices  
metiebatur, dum media longitudo erat 20 pollicum.

Funiculi gyri in 98 casibus sinistrorum, in 54 dextrorum sese movebant, dum de 8 funiculorum gyris non constat.

Partus 147 sola natura terminabantur. Ter forceps adhibita, toties versio instituta est. In uno partu clunibus praeviis extractio capitis indicata erat, dum insuper in uno partu incisiones parvae ad labia minora, propter vulvae angustiam et perinaei rupturnae metum, factae sunt. Duo infantes, qui forcipis ope nati sunt, durante partu mortui erant, dum versionis ope semel foetus vivus natus est, in duobus aliis casibus foetus ante operationem jam mortuus erat.

## C A P U T II.

### GRAVIDITAS.

Graviditatis decursus plurimis in casibus normalis erat; quaedam mulieres syphilide correptae erant, duae jam ante partum mastitide laborabant, post partum in suppurationem transeunte.

Undecim parturientes graviditatem non ad terminum peregerant, dum supersunt nonnullae, quae nisi ad terminum pepererunt, ab eo saltem non multum differebant.

a. *Gravidarum auscultatio.* — Omnes gravidae durante partu et plurimae etiam ante partum stethoscopii ope investigabantur, et numquam cordis foetus vivi soni deerant, pulsatio fortissima plurimis in casibus eo loco erat, cui foetus dorsum proximum erat; foetus autem positio sola pulsatione non in omnibus casibus determinari potuit.

Susurrus, qui uterinus dicitur, in multis non in omnibus casibus animadverti potuit; fortissimus erat ubi foetus mortuus erat, saepius etiam post partum fortis manebat.

Ex anamnesi graviditatis terminum auspicari saepius non potuit, dum non paucae ultimae menstruationis tempus, aliae primos foetus motus non meminerant.

*b. Morbi durante graviditate.* Praeter jam memoratos morbos, peculiarem descriptionem nequaquam postulantes, apud unam gravidarum epilepsia observata est, dum altera haemorrhagiam e vagina, verosimiliter e varice erupta, sexto graviditatis mense affecta fuit, graviditate tamen ad terminum perducta. Hoc in casu haemorrhagiam non ex utero fuisse bene constabat, quod scilicet et exploratio durante graviditate et post partum sana placentae conditio docuit; disruptum tamen varicem videre nobis non contigit, quum haemorrhagia jam ante mulieris in Tocco-comium introitum sponte desiisset.

*c. Foetus situs durante graviditate* plurimis in casibus definitus erat, non semper vero jam ante partum determinari poterat; quod ad positionem, praeviae partis capitis scilicet, attinet, haec plerumque ex loco, quo cordis ictus optime audiebantur, interdum exploratione interna, efficienda erat; non semper tamen ut jam diximus cordis ictus optime percipiebantur eo loco, cui foetus dorsum proximum erat.

## CAPUT III.

### PARTUS.

In plurimis partibus decursus erat regularis; 142 in casibus caput praevium erat, in 11 clunes, in 3 humerus sese digitō exploranti offerebant.

In septem partibus positio determinari non potuit, quia 4 harum seminarum nato infante in Tococomio recipiebantur, dum ter infans jam natus erat, antequam aliquis nostrum adesse potuerit.

Casus qui supersunt sequenti ratione divisi sunt.

#### *Partus capite praevio.*

Occiput sinistrorum . . . . .	93
" dextrorum anteriora versus	45
" " posteriora "	1

#### *Partus clunibus praeviis.*

Prima positio . . . . .	9
(dorsum anteriora versus).	

Secunda positio . . . . .	2
(dorsum posteriora versus).	
<i>Partus humero praevio.</i>	
Positionis humeri dextri prima species . . .	1
"      "      secunda " . . .	1
"      "      sinistri "      " . . .	1

De causa mortis 19 foetuum non in omni casu constat. In nonnullis partus longiori durationi, in aliis matris vivendi rationi, in aliis denique funiculi pressioni et inde sanguinis refluxui impedito, ut docuit cadaverum sectio, tribuenda mihi videtur. Semel strictura vasorum funiculi, etsi non vera obliteratio, observata est.

In 23 partibus funiculus collum semel circumvolvebat, quinques bis, semel tantum ter, dum praeterea in sex aliis unam alteramve extremitatum circumdabat, ter discindi circumvolutum funiculum opus fuit. Funiculi circumvolutio, si brevem non nullorum infantum asphyxiam excipias, iis in nullo casu nocuit. In uno vero infante crus dextrum non tantum valde atrophicum invenimus sed supra genu in femore locus observabatur valde emaciatus, quasi ligatura constrictus. Non certum quidem constat funiculum hoc in casu deformitatis causam fuisse, attamen mihi valde verisimile videtur.

Fere omnes mulieres in dorsum decubentes partum peregerunt, exceptis iis, quae vitio organico, gibbositate scil., coactae, in unum alterumve latus decubuerunt.

Perinaei integritas apud quatuor feminas servari non potuit, in uno autem casu, in quo partus for-

cipis ope peractus erat, ruptura notabilis erat, in alio ruptura tum perinæi degenerationi ulceribus syphiliticis productæ, tum perpetuae mulieris jactationi tribuenda erat.

Sequentes casus speciale mentionem merentur.

*Partus forcipalis.*

I. *Partus forcipalis apud primiparam, decursu partus tum vittiosa uteri positione, tum infantis volumine retardato.* — JOHANNA M..... 20 annos nata, puella robusta, plethorica, prima vice gravida, die 12 mensis Januarii obortis doloribus hora prima post meridiem in Tococomium se contulit, narrans jam per totam noctem praegressam dolores periodice adfuisse et ante horam aquas effluxisse. Exploratione instituta patuit uterus valde extensum esse, cum fundo dextrorum positum et praetermodum prominentem. Ostium uteri ad magnitudinem florenæ circiter dilatum cum marginibus relaxatis, caput foetus prævium erat, attamen positio nondum definiri poterat. Membranae etsi non valde tensæ tamen non ruptæ erant, ita ut si revera liquor effluxerit, ille verosimiliter liquor spurius, qui dicitur, fuerit. Soni cordis in regione hypogastrica sinistra audiebantur. Perverse parturiens graviditatis terminum jam ante mensem adfuisse statuebat. Post aliquot horas ostium magis dilatum, membranae valde tensæ, sutura in transversa pelvis dimensione distingui poterat. Contractions valde dolebant. Inde ab hora 6 ad  $8\frac{1}{2}$  usque dolores decrescebant, tunc vero

iterum fortiores siebant. Hora 9 ostio aperto membranae fortiter tensae erant, dum nocte hora 12 rumpebantur. Membranis ruptis caput, etiamsi fortes dolores adessent, non tamen in pelvis cavitatem descendebat, brevique magnum oriebatur caput succedaneum. Capitis positio interim determinata erat; fonticulus nimirum minor sinistrorum et anterius versus posita erat, sutura sagittali in prima obliqua decurrente. Tardus erat partus decursus; hora demum matutina quarta ingens caput succedaneum ad parvam a vulva distantiam pervenerat. Eo vero loco remanebat, nec validi dolores illud promovere poterant, quapropter hora matutina sexta forcipis ope partus terminandus videbatur. Vitiata uteri positio, quae scilicet verticalis fere erat, sine dubio causa fuit, quare uteri contractiones etsi regulares et fortes caput expellere non potuerint. Pulsationes cordis audiebantur quidem sed longe debiliores quam antea.

Muliere choridi formyli ope consopita forceps applicabatur, plures tractiones satis fortes foetus caput eduxerunt, uteri positione ab adjutore quantumpote emendata. Nato capite, non vero mutata uteri positio, validiores contractiones ad humeros extrahendos requirebantur, dum nucha foetus perniciosa admordum sed non evitandam pressionem contra symphysis ossium pubis patiebatur. Praeterea funiculus justo brevior extractionem difficiliorem reddebat, atque extracto ad medium fere truncum usque infante dilacerabatur, quo facto parva sanguinis quantitas ex eo effluxit.

Infans, ut nemini mirabitur, asphycticus erat,

leviores extremitatum inferiorum quidem animadvertebantur motus, non tamen vita suscitari potuit.

Placenta plane soluta facile removebatur. Vulvae angustia capitisque magnitudine factum est, ut perinaei ruptura satis notabilis praecaveri non potuerit, quae tamen ruptura durante puerperio sponte sanata est.

Forcipis usum hoc in casu requisitum esse, omnes ni fallor consentient: partus decursus valde retardabatur, non quia dolores justo debiliores erant, quod si obtinuerat secale cornutum indicatum fuisse, aequo minus quia vel plethora uteri vel spasmus vel alia quaevis morbosa uteri conditio aderat, sed tantummodo quia uteri positio vitiata erat nec emendari poterat, dum simul foetus volumen praetermodum magnum erat; pondus scilicet erat  $9\frac{1}{2}$  librorum. Impedimentum itaque mechanicum aderat, naturae viribus non aut difficillime superanda. Infantis mors pluribus causis tribuenda est: scilicet ipsius partus retardationi, jam per se foetus vitae periculose, tum pressioni in nucham et medullam oblongatam durante humerorum extractione, tum quoque funiculi tensioni, circulationem ut per se patet valde turbanti.

Puerpera per aliquod tempus debilis mansit, at vero sanata Tococomium reliquit.

Sectio infantis cadaveris in ultimo capite commemorabitur.

2. *Forcipis applicatio in primipara parvae staturaे, longissima partus duratione et parturientis exhaustione indicata; ruptura perinæi notabilis, sanatio sine operatione; foetus durante partu mortuus.*

APOLLONIA L..., 29 annos nata, parvae admodum staturaे, primipara, 14 Aprilis 1852 in Tococomio academicо recipiebatur. Pulsatio in sinistro hypogastrio, susurrus uterinuѕ dextro latere percipiebatur. Graviditatis terminus medio fere mense Julii exspectari poterat. Sana erat mulier, sed admodum hysterica. Venter valde propendebat, uterusque ultimo mensi insigniter distensus erat. Die 8 Julii dolores praesagientes inceperunt et vespertino tempore increverunt, ostium uteri externum apertum erat, ita ut digitum admitteret; collum nondum prorsus disparuerat, sed sicuti ostium internum digitum admittebat. Per duos dies conditio eadem mansit; die 10 vero hora vespertina nona collum evanuerat atque ostium ad quartae florenae partis magnitudinem dilatum erat; pars autem praevia nondum distingu poterat propter altam positionem, licet tum ex loco, quo cordis soni audiebantur, tum quo foetus motus a muliere nobisque percipiebantur, certo fere effici posset caput esse praevium. Post horas duas vel tres dolores increverunt, attamen non valde efficaces erant ad ostium dilatandum, nam 11 Julii die hora sexta vespertina ostium nondum ad florenae magnitudinem dilatum erat, membranae brevi ante ruptae in vaginam pendebant, caput praevium erat, et sutura (sagittalis verosimiliter) in secunda obliqua pelvis dimensione

distinguebatur. Cordis soni in utroque hypogastrio audiebantur. Per duos dies conditio eadem fere mansit, dolores quidem adsunt, at vero vix aut ne vix quidem aliquid ad ostium dilatandum efficientes; die 12 caput succedaneum parvum aderat, sonique cordis distincte adhuc audiebantur, postero vero die non amplius percipiendi erant. Parturientis conditio si magnam anxietatem et inquietudinem excipias, satis fausta erat; pulsus frequentia justo major ex insomnio diurno facile explicanda erat.

Dies 14 Julii. Media nocte exploratio docuit ostium magis dilatatum esse, ejusque margines caput firmiter amplectari. Positio prima nunc definiri poterat.

Hora matutina prima motus convulsivi oriebantur, tum oculorum et faciei musculorum, tum universi corporis, dum facies rubra erat et carotides fortiter pulsabant. Eclampsiae metus oriebatur, attamen perpessis omnibus symptomatibus nobis videbatur nil aliud nisi insultus hystericus adesse cum notabili simulatione, quam opinionem mox confirmavit cura adhibita, conspersa aqua frigida brevi ad se rediit puella. Doloribus fortioribus factis ostium sensim plane dilatabatur atque caput in pelvis minoris cavitudinem descendebat, ita ut hora 6 matutina ad parvam a vulva satis angusta distantiam pervenisset. Hoc autem in statu partus mansit ad horam decimam, quo tempore forcipis applicatio indicata censebatur, cuius ope caput, paucis nec fortibus illis tractionibus institutis, brevi extrahebatur, dum truncus facile insequebatur. Placenta sine difficultate amota est.

Infans mortuus erat et quidem durante partu, uti jam ante unum diem et dimidium ex deficientibus cordis pulsationibus suspicati eramus, dum infants adspectus factam diagnosin confirmabat.

Etiam in hoc casu ruptura perinaei praecaveri non potuit, et h̄ic vulvae angustia accusanda erat, cui accedit, quod dolore satis forti oborto, caput nimis cito, non forcipe sed uteri vi expulsum fuerit. Ruptura notabilis erat: sese fere ad marginem ani extendebat ibi vero in duo crura, anum pro parte circumfeuntia dividebatur. Quieta et munditia intra quatuor septimanas ruptura plane sanata est.

Mulier per aliquod tempus debilis mansit, attamen plane restituta Tococomium reliquit.

Hoc in casu longioris partus durationis causam indicare non difficile est; pro parte enim liquoris amnii jam in initio secundae periodi effluxui tribuenda est, pro parte etiam vitiatae uteri positioni, qua factum est, ut caput diu supra pelvis introitum remanserit, praeterea doloribus non valde efficacibus. Exspectare durante ista secunda periodo unica indicatio erat, spasmus non aderat, uteri scilicet, neque congestio, igitur nec antispasmodica conveniebant, neque depletiones sive universales sive topicae.

Secale cornutum contraindicatum videbatur: quamdiu enim ostium uteri non apertum est, remedium illud, ut mihi videtur, vulgo nocebit, et in hoc casu magis adhuc nocuisset, effluxo liquore amnii uteroque foetum satis fortiter circumdante. Igitur propinato secale et vita foetus magis periclitabatur,

et facile uteri inflammatio provocari poterat. Aperto ostio, mortuo infante, secale non administratum est propter metum ne utero noceret; forcipis applicatio ab omni parte indicata erat. Etiamsi igitur non raro proficiat secalis cornuti ante forcipis applicationem administratio, in iis scilicet casibus in quibus dolores deficiunt vel admodum debiles sunt, in nostro casu et inutilis erat et periculosa habenda, aquae enim jam ante tres dies effluxerant.

---

3. *Partus forcipalis ob inertiam uteri, secale cornuto absque effectu administrato.* — FRANSINA R....., 27 annos nata, constitutionis plethoricae et valde nervosae, primae graviditatis finem ultimis mensis Aprilis vel primis Maji diebus exspectabat. Durante graviditate sanitate fructa est, at vero nobis innotuit eam ante aliquot annos mania religiosa per quoddam tempus fuisse affectam, quae quidem sanata est, remanente autem insigni systematis nervosi irritabilitate. Postquam per aliquot dies dolores quidam affuerant, die Maji 4 matutino tempore in Tococomium venit cum doloribus validis. Prima exploratione ostium uteri attingi non potuit, nec de capitinis praevii positione judicium ferri. Hac in conditione partus ad sextam horam vespertinam mansit, quo tempore ostium ad quartae florenae partis magnitudinem dilatatum erat; ab hoc inde tempore partus celerius decurrit, ita ut hora undecima ostium maximam partem dilatatum esset. Membranae fortiter tensae erant, et extra dolorem prima positio infants dignosci

poterat. Nunc autem conditio immutata manebat; membranis ruptis jam ante plenam ostii dilatationem caput succedaneum oriebatur. Hora 12 post meridiem catheteris ope urina emittebatur, dum uterus in dextrum latus inclinans totum hypochondrium dextrum impleret. Decubitus gravidae in latus oppositum ad partum accelerandum nil effecit. Dolores ipsi longum tempus jam aberant et uterus iners manebat. Hora quarta pomeridiana scrupuli duo secalis cornuti recens pulverisati praescribebantur, in 4 dosibus, ita ut omni horae quadrante gr. X sumarentur, quae quamquam ad dolores excitandos non multum effecerint, tamen verosimiliter profuerunt, praecavenda haemorrhagia, cuius in tanta uteri inertia justus metus erat, si forcipis ope uteri depletio obtinuisse. Interim pulsationes cordis, quae ante horam audiendae adhuc erant, nunc non amplius distinguuntur; post aliquod tempus forceps applicatur. Et facilis erat applicatio, et celer capitis extractio; paucae enim levioresque tractiones ad caput evolvendum sufficiebant. Antequam vero forceps introducta fuit, venaesectio instituebatur, prophylactice potius in puella plethorica, quae mania laboraverat, quam forti congestione stricte indicata. Placentae remotio satis difficultis erat, quia ostium ad florenae magnitudinem sese contraxerat. Post horam autem removebatur. Propter metum maniae redeuntis (animo parturientis graviter perturbato) statim post partum duo pulveres de acetate morphii (gr.  $\frac{1}{4}$  pro dosi) praescribebantur.

Infans mortuus erat. Causa mortis, ut quidem sponte patet, circulationi sanguinis impeditae tribuenda est. An vero secale cornutum accusare debemus? Nam etiamsi dolores remedium non validos excita- verit, tamen contractilitatem, ut dicunt, uteri organi- cam auxit. Brevi ante remedium propinatum audiebantur pulsationes, non amplius brevi post ad- ministrationem. Forcipe prius, id est ante secalis cornuti usum, applicata verosimiliter infans vivus natus foret, ut autem jam diximus remedium pellens praescriptum fuit ex metu ne metrorrhagia post par- tum oriretur.

*Versio.*

Haecce operatio ter propter positionem foetus transversam instituta est.

1. *Versio in pedes, aquis jam dudum effluxis, foetu mortuo; chloridi formyli inhalatio.* — JOSINA HENRICA A. ...., 25 annos nata, constitutionis sanae, prima vice gravida, die 18 Decembris 1851 in Tococomium venit, quaerens ut ei, si partus instaret, aditus pateret. Ipsa graviditatis terminum ad finem mensis Februarii anni 1852 ponebat. Quum institueretur exploratio, statim jam insolita uteri latitudo conspicua erat, imminuta simul ejus altitudine. Pulsatio in media uteri parte audiebatur, foetus motus hic atque illic percipiebantur. Pars praevia non attingenda, collum uteri longum atque laxum erat. Procedente gravi-

ditate aliquoties explorata fuit mulier, atque semper uterus praetermodum latus mansit, dum partes praeviae distingui non potuerunt, ita ut positionis foetus transversae suspicio orta sit. Per integumenta communia, quae satis crassa erant, foetus partes distingui non poterant.

Primo Martis die in Tococomio recepta est, narrans, nunc jam per tres dies liquorem amnii effluisse, foetus motibus per illud tempus non perceptis.

Exploratio docuit vaginam liquore defluente esse humidam, satis angustam, atque attactu dolorosam, ostium uteri ad florenae magnitudinem dilatatum esse, dum pars praevia, quamvis difficulter, attingitur. Latere sinistro ostii uteri humerus inveniebatur, dorsum foetus inferiora versus situm erat, humeri apice in sinistrum latus vergente. Per integumenta communia nunc caput in latere sinistro, in latere opposito extremitates distinguebantur. Aderat igitur prima humeri dextri positio. Pulsatio non audiebatur, fatendum autem perpetuam parturientis jactationem impediisse, quominus distincte per stethoscopium audire potuerimus.

Etiamsi igitur foetus mors probabilis haberri posset, quum liquor amnios jam ante 3 dies effluxus fuerit, mulierque nullos motus perceperit, fieri tamen posset, motus ideo non percipi, quia liquore effluxo, uterus infantem arcte circumdaret.

Etiamsi autem mortis probabilitas adesset, deerat tamen certitudo, ideoque versio instituenda fuisset, si manus per ostium uteri transmitti potuisset. Ostio

autem ut vidimus parum dilatato, versio institui nondum poterat, qua propter conati sumus manipulationibus externis (quales WIGAND et MARTIN aliquique commendaverunt) foetus positionem emendare, licet spes boni eventus hoc in casu exigua esset. Manipulationibus istis positio quidem mutata, at vero non emendata est; dexter enim humerus sese retrahebat, venter sensim sensimque anteriora versus movebatur, atque humerus sinister praevia pars reddebat, ut nunc altera species sinistri humeri positionis adisset.

Dolores interim parvi momenti erant, atque ostii magnitudo hora vespertina septima non modo non aucta, sed spasmodica illius contractione potius imminuta erat; sinistrum brachium pro parte in vaginam descenderat. Uterus foetum fortiter circumvolvebat atque attactu dolebat, contractiones irregulares erant, non fortes sed valde dolorificae. Vagina ut antea dolet ac valde augusta est; pulsus parumper acceleratus est. Spasmus tollere antequam operatio institueretur, omnino indicatum erat, quo scopo parturienti quatuor pulveres praescribebantur, quorum quisque 4 pulv. Dov. grana continebat, ut omni semihora unum sumeret; interea injectiones demulcentes tepidae in vaginam immittebantur. Spasmus sensim recedebat et durante nocte ostium satis dilatatum est, ut manus facile transire posset. Brachium sinistrum nunc in vagina jaciebat. Matutino tempore venaesectio instituebatur propter pulsum plenum et frequentem, quae venaesectio cephalalgiam tollit atque pulsum corredit. Nunc operatio instituta est,

postquam mulier ad dolorem leniendum sed etiam od operationem satis difficilem leviorem reddendam chloridi formyli ope consopita est, quod brevissimo tempore successit, et quidem ita ut de tota operatione nihil senserit mulier. Postquam nunc brachium vinculo circumdatum erat, manus sinistra ad pedem praevium ducta est et versio sine magna difficultate instituta. Partim natura partim arte truncus ita convertebatur, ut dorsum primum posteriora versus spectans dein antrorum verteretur. Brachium dextrum ad latus capitidis erat allatum sed facile evolutum est, uti etiam facile caput extrahebatur. Placenta nil abnormale praebuit Infans, uti exspectatum fuerat, mortuus erat et quidem per plures horas, forsitan diutius, decompositionis signa autem nondum aderant.

Quod manipulationes istas externas attinet, fieri quidem potest eas in nonnullis casibus, ubi liquor amnii adhuc utero continetur, atque hic igitur sufficienter distensus est, convenire et subinde bono eventu adhibitas esse. Nulla enim ratio adest, quare Viris, uti WIGAND atque MARTIN, fidem denegaremus. Si vero MARTINO contigerit semel infantis positionem emendare per manipulationes externas, aquis jam ante plures horas effluxis institutas, idem nobis nequaquam contigit, et ut per se patet fere numquam obtinebit. In casu non urgente, uti nostrum erat, periculum fieri potest, etiamsi spes boni eventus parva sit, dummodo periculum illud rem non peiorem reddit, atque vidimus in nostro casu positionem revera hac ratione minus

faustum factam esse. Quousque igitur ex uno casu concludere liceat, manipulationes externas, aquis effluxis, ab omni parte dissuadendas censeremus. Si autem illas manipulationes laudare non possumus, eo magis laudandum fuit chloridum formyli. Exiguo temporis spatio mulier consopita est; facile manus per angustam vulvam et vaginam immittebatur, facile ad pedem vehebatur, etiamsi ad anteriorem uteri partem positum; versio infantis nullas praebuit difficultates, quamvis liquor amnii ante quatuor fere dies effluxus esset, et uterus per omne illud tempus foetum fortiter circumdedisset; facilis fuit foetus extractio; nihil de tota operatione sensit mulier, et puerperium ita normale fuit, ut ne momentum quidem pulsus acceleratus fuerit, ac mulier decimo post partum die plane restituta esset.

---

2. *Partus gemellorum; transversa alterius foetus positio; versio in pedes; infans vivus.* — Uxor CORNELII VAN H....., 38 annos nata, nonum partum peractura, inter quos unus fuit gemellorum, 14 Martis die anni 1853 in Tococomio recepta est; collum uteri tunc 5—6 lineas longa erat, ostio externo aperto. Pulsatio et susurrus uterinus iu sinistro latere percipiebantur, dum foetus motus in latere opposito, ut mulier dicebat, interdum aderant.

Post septimanam collum brevius, ostium externum ut etiam internum apertum, caput praevium. Dolores accusabat foemina. Sequenti die matutina hora sexta ostium uteri prorsus apertum erat, membranis

fortiter tensis, dum capitis positio secunda definiebatur. Membranis ruptis statim fere caput trans pelvum descendebat et brevissimo tempore nascebatur. Nato vero foetu ambitus uteri paulum imminuebatur, quapropter gemellos adesse statim suspicabamur; exploratione interna nullam partem praeviam inveniebamus, pulsatio autem in latere sinistro audienda alterius foetus praesentiam indicabat. Post decem horae minutas novi dolores oriebantur et novae aquae formabantur; brevi post membranis sponte sua ruptis, eodem momento manus extra genitalia conspicua fiebat. Exploratione interna tunc patuit manum esse dextram, dum dorsum anteriora versus et caput in latere sinistro positum erat. Dolores nunc satis validi foetus versionem statim indicabant, quae versio facile manu sinistra perficiebatur. Introductio manus, versio et foetus extractio propter vaginam dilatatam et uterus extensum nullis difficultatibus premebantur. Infantes ambo debiles erant. Placentarum extractio e vagina satis facilis erat.

---

3. *Versio infantis, jam per aliquod tempus mortui, in muliere admodum parva et difformi.* — SOPHIA VAN D... , 35 annos nata, admodum parva atque staturali deformis, ante aliquot annos partum immaturum enixa, iterum gravida facta, die 28 mensis Julii 1853 in Tococomio academico recipiebatur, narrans jam per septimanam dolores adfuisse et durante eo tempore nunc atque nunc sanguinem e vagina fluxisse. Quandoquidem menses die 4<sup>to</sup> Ja-

nuarii hujus anni ultima vice fluxerant, statim patebat graviditatem non ad finem pervenisse, uti quoque ex minori uteri extensione conspicuum erat, quod felix omnino dici poterat, quia introitus pelvis angusta erat, recta diametro  $3\frac{1}{4}$ — $3\frac{1}{3}$ " tantum metiente. Susurrus uterinus in dextro latere audiebatur, pulsatio deerat, ostium uteri ad florenae magnitudinem apertum erat, membranae fortiter tensae et attactu rudiores erant, pars praevia distingui non poterat. Doloribus deinde parumper fortioribus obortis ostium sensim magis aperiebatur. Haeccce conditio perstitit usque ad horam matutinam sextam, quo tempore membranae sponte rumpebantur, dum femina sese alvum deposituram credebat. Statim post exploratione facta funiculus umbilicalis digito sentiebatur. Funiculi pulsationes prorsus deerant, ita ut de foetus morte nunc plane constaret; digitu ope pars praevia sentiri non poterat, quapropter tota manus ad explorandum introducebatur, quo facto foetus positio definita est. Caput in dextro latere positum erat, dum humerus dexter inferiora, dorsum posteriora versus et crura juxta foetus ventrem supra symphysin ossium pubis posita erant (altera dextri humeri positio). Versio ut patet instituenda erat, ad quam ostio satis aperto transiimus. Postquam mulier inhalationibus chloridi formyli sensu orbata fuit, versio manu dextra satis facile peragebatur. Statim extractio et placentae jam solutaes remotio insequebantur. Foetus non ultra 7 menses attigerat. Uterus bene sese contraxit, et puerperium ab omni parte normale fuit.

Etiā hoc in casu chloridum formyli utilissimum sese praestitit remedium; cujus nimirum ope operatio, quae alioquin difficilis fuisse, absque ulla difficultate, absque ullo dolore peracta est. Operatio procul dubio longe difficilior fuisse, si graviditas ad justum terminum pervenisset, et quidem propter pelvis angustiam satis notabilem.

*Partus clunibus praeviis; trunci ac capitinis extractio artificialis; infans mortuus.* -- ELISABETH H...., puella sana, 22 annos nata, prima vice gravida, 15 Octobri 1853 Tococomium adiit, graviditatis terminum ultimis Novembribus vel primis Decembribus diebus exspectans. Pulsatio cordis foetalis in dextro latere aderat, dum foetus motus nunc in uno nunc in altero latere percipiebantur.

Die 30 Novembribus hora nona matutina narrabat gravida per totam noctem dolores adfuisse et liquorem sensim sensimque effluxisse. Exploratione interna instituta patuit ostium ad florenae magnitudinem apertum esse, dum de parte praevia ob altum situm dubium remanebat, membranae ruptae erant, uti etiam ex magna vernicis caseosae copia digitum explorantem tegente liquebat; pulsatio una cum susurru uterino in dextro latere audiebatur. Hora pomeridiana prima partem praeviam non caput sed nates esse patuit, osse coccygis dextrum latus versus sito. Hac in conditione mansit, dum dolores non valde efficaces erant, ad horam 9 vespertinam, quo tempore fortiores fiebant. Pulsatio antea dextro latere audienda

nunc etiam in sinistro latere una cum susurru uterino animadvertebatur. Eodem tempore ostium fere plane apertum erat et nates inferiora versus movebantur. Deinde autem partus ita tarde progrediebatur, ut hora 4 tandem matutina scrotum in exitu appareret, et post horam et dimidiam clunes in prima positione natae essent; nullis obortis doloribus brevi post truncus extrahebatur, sed brachia juxta caput elevata non nisi difficulter solvebantur, uti etiam caput, mentum nempe a pectore recedebat, ad cujus evolutionem satis magna vi opus erat. Uteri contractio bona erat atque placenta facile removebatur, foetus vero durante operatione mortuus est; funiculi pulsationes etenim in initio percipiebantur; hanc ob rem quoque, doloribus corpus non expellentibus, extractio facta est, elevatis vero brachiis, menti a pectore recessu atque difficiliiori ideo capitis extractione debilis vita extinguebatur.

---

*Scarificationes vulvae propter nimiam angustiam  
bono successu factae.*

Ad partus, in quibus artis auxilio opus erat, unus pertinet, in quo incisionibus parvis vulvam angustum dilatare opus erat.

ELISABETH CORNELIA D...., 21 annos nata, primipara, die 2 Junii 1852, doloribus ad partum obortis in Tococomio recepta erat et quidem hora matutina secunda. Exploratione interna patuit, ostium ad pollicis diametrum dilatum esse, dum ab hoc inde tempore dolores satis validi aderant. Ostium

prorsus hora quinta dilatatum erat, hora in sequenti liquor amnii effluebat et paullo post caput pone genitalia externa pervenerat. Hac in conditione dum durante contractione caput in exitu videbatur, post contractionem sese retrahebat, neque contractiones validissimae partum peragere poterant. Vulva angusta causa habebatur. Dein cultro ad apicem obtuso parvae incisiones fiebant, et quidem tali effectu, ut eodem fere momento caput natum sit. Puerperium ab omni parte normale fuit, scarificationes factae intra paucos dies sanatae sunt. Quam timent nonnulli incisionum dilacerationem in hocce casu non obtinuit.

*Partus gemellorum.*

Ter gemelli nati sunt. Uno in casu ambo capite praevio nascebantur, altero in casu ambo clunibus praeviis, in tertio gemellarum alter capite praevio alter humero praevio sese prodebat.

Gemellarum pondus, longitudo atque genus sequenti ratione erant:

	Infantis prioris	alterius
Pondus	$4\frac{3}{4}$	$6\frac{1}{2}$
	$3\frac{3}{4}$	4
	$3\frac{1}{2}$	3
Longitudo	$14\frac{1}{2}$	17
	14	14
	15	14
Genus	F.	F.
	M.	F.
	M.	M.

Placentae in omnibus casibus separatae, quamvis membranis junctae erant, vasorum communicatio non aderat.

Duo priores gemellorum, quantum novimus adhuc vivunt, 4 alii vero, de quibus deinceps adhuc sermo erit, vel statim vel post aliquot dies debilitate extincti sunt.

*Partus trigeminus.*

SOPHIA R..., bipara, 26 annos nata, mulier sana ac robusta, die 28 Novembris anni 1852 sese in Tococomium contulit, primis Januarii anni insequentis diebus partum se peracturam esse credens. Collum uteri plus quam dimidium pollicem longum erat, ostium externum apertum, caput pars praevia, alte positum et digito exploranti facile sursum tolli poterat. Susurrus uterinus in dextro latere, pulsatio in opposito audiebatur. Abdomen tumidum erat, ita ut gravida fere ad finem octavae graviditatis mensem pervenissee videatur, etsi collum uteri longius esset, quam hocce tempore esse soleat. De plurium infantum praesentia nondum aderat suspicio.

Die 4 Februarii dolores praesagientes sese ostendebant et in Tococomio recepta est; perstiterunt illi dolores ad 18 Februarii diem usque, nunc fortiores nunc minus fortes. Die 18 media nocte dolores increverunt et ostium aperiri coepit. Hora 4 matutina exploratione interna ostium uteri, utpote alte et posteriora versus positum, difficulter adhuc attingendum erat, dum caput supra pelvis introitum haerebat. Do-

lores validi aderant, mulier valde inquieta erat. Post horam ostium ad florenae magnitudinem apertum erat, dum nullae aquae formabantur, membranae laxae in ostio pendebant. Non diu post ostium pro maxima parte apertum erat et membranae tendi coepebant. Hora 7 ostium prorsus apertum, membranae fortiter tensae, ad genitalia externa sese extendentes, dilaceratae sunt, et statim caput prima positione ad parvam ab introitu vaginae distantiam perveniebat. Ibi diu mansit et non nisi post duas horas fortissimo dolore expellebatur, trunco immediate sequente. Parca liquoris amnii quantitas emissa est, venter valde tumidus manebat, dein exploratione interna instituta de alterius foetus praesentia constabat, qui foetus post horam dimidiam, clunibus in secunda positione praeviis expulsus fuit, et statim tertius insecurus est; hic autem mortuus erat. Uterus bene sese contraxit, dum placentarum avulsio nil abnorme praebuit.

Dimensiones variae duorum foetuum viventium erant sequentes:

	Foetus prioris	alterius
Dimensio magna obliqua . . . . .	5"	5". 5".
" recta . . . . .	4".	4" 5".
" perpendicularis , . .	3".	3" 5".
" transversa major . . .	3" 5".	3" 5".
" " minor . . .	2" 7".	2" 5".
" obliqua dextra . . .	4".	3" 5".
" " sinistra . . .	4".	3" 7".
Humerorum distantia . . . . .	4"	5". 5".
Trochanterum " . . . . .	2"	7". 3".

Longitudo . . . . .	15"	16"	5"
Pondus . . . . .	4.	5 $\frac{1}{2}$	ff.
Secundinarum pondus . . . . .	2	ff.	ff.
Funiculi longitudo . . . . .	14"	16"	ff.
" insertio . . . . .	C.	C.	ff.
" gyri . . . . .	S.	S.	ff.
Genus . . . . .	Fem.	Fem.	ff.
Tertii foetus qui feminini generis erat, dimensio- nes non annotatae sunt.			

*Placentarum et tertii foetus conspectus.* — Pars uterina placentarum, quae conjunctae diametrum 12 poll. Par. formamque fere rotundam habebant, nil abnormale prodebat, satis difficile tamen erat separationem inter singulas placentas ostendere. Foetuum magnitudini singulae respondebant, ita ut tertii foetus prioribus longe minoris placenta non major quam palmae manus esset. Densitas potius minor quam major erat.

Placentis a parte foetali conspectis conspicuum erat singulis foetibus membranas separatas fuisse; singulæ proprium referebant saccum. Funiculo primi foetus insertio erat in margine intra hujus et tertii foetus saccum, dum magna vasa pro parte adhuc supra tertii foetus placentam sese extendebant, sed in primam regrediebantur; vasorum autem communicatio observari non poterat. Secundi foetus funiculus hic atque illic cystides gelatina quadam repletas monstrabat. Funiculus tertii foetus 11 pollices longus pro parte membranis obvolutus erat, et quidem per 4 pollicum longitudinem. Funiculus ipse quasi carno-

sus erat, attactu durus, dum ad unius a ventre foetus pollicis distantiam subito vasorum lumen multum imminuebatur et funiculus admodum tenuis erat. Ut autem accuratiores simus, addamus funiculum hoc loco proprie non amplius dari, sed constare ex elongata abdominis cute. Hujus funiculi gyri non adsunt, vasa, quae in parte constricta clausa fere videbantur, tamen aperta erant, etsi valde angustata, gyri in parte funiculi tenui non inveniebantur, ita ut hicce casus non conveniat cum iis, qui ante aliquot annos a BREIT, et deinde ab aliis nonnullis Scriptoribus relati sunt.

Caput hujus tertii foetus magnum saccum formabat, in quibus plura ossa soluta percipiebantur; aperto sacco omnia ossa inveniebantur, parietalia satis magna, cetera parva, a se invicem prorsus separata. Cerebrum parvum erat, in massam pultaceamita conversum, ut de singulis eius partibus nil distingui posset. Omnes faciei partes aderant, oculi a se invicem valde distabant, nasus parum conspicuus erat, dum nasi ossa non conjuncta erant. Foetus 5 vel 6 mensium videbatur. Ejus mors sequenti ratione mihi explicanda videtur: utero magnitudine crescente tertii foetus funiculus, brevis ille, tensionem subire incipit; cutis tenuis ventris simul extensa est. Circulatio inde impedita aut valde turbata est, et quidem imprimis sanguinis regressus in placentam difficilis facta est: inde stasis venosa, transsudatio, hydrocephalus. Pressione caput sero extensum disruptum est; de tempore, quo hoc

factum sit, non certo constat, aequo minus num  
ruptura brevi ante aut post mortem obtinuerit. Utrum  
serum cranio contentum per orbitas an per aliam  
aperturam effluxerit, effici non potuit, quum in cute  
aperturan nullam invenerimus. Foetus quinto vel  
sesto gravidatis mensi vivere desiisse videtur, quod  
tamen probatu satis difficile est, nam uti gemellorum  
alter saepe altero longe minor est, eo magis trigemi-  
norum, ut igitur diutius vivere potuerit, quam e  
corporis evolutione quis efficeret.

Puerperium valde prosperum erat. Nonnulli dolores  
post partum aderant, quae paullo diutius persistebant  
et magis dolorifici erant, quam post uteri normalem  
expansionem. Solummodo in herniam ventralem  
propensio erat, quum musculi recti fere manus pal-  
mam a se invicem distarent. Nono post partum die  
femina prorsus restituta erat, et duabus diebus post  
*sola* Tococomium reliquit, quum puerorum prior  
sesto, alter septimo post partum die mortuus esset.  
Foetus primum natus jam statim sates fortes clamores  
ediderat, neque etiam asphyctice natus erat, unguis  
in manibus et pedibus satis bene formati erant, sed  
in genere infans immaturus videbatur, licet justo  
tempore nasceretur. Foetus alter, cuius pondus ut  
diximus majus, asphycticus erat; post quaedam co-  
namina quidem clamores edebat, sed non alta voce, dum  
pectus durante inspiratione inaequaliter movebatur.

Per tres dies ambo non diu quidem sed satis bene  
sugebant, tranquilli erant, numquam clamorem eden-  
tes, cutis color praerubrus, alvus normalis erat. Post

quartum diem ambo decrescere incipiebant, color cutis magis flavus fiebat, crura rubra manebant, pedes parumper oedemate afficiebantur, deglutitio prorsus impiedebatur et tandem moriebantur.

Autopsia in utroque casu fere idem docuit. — Seri modica quantitas in abdominis cavo; intestina anaemica, tum tenuia cum crassa contracta ac pro maxima parte vacua; hepar non permagnum, sanguine satis repletum, vena umbilicalis atque ductus venosus aperta, sine occlusionis vestigia, tunica eorum intima prorsus laevis erat.

*Pectus* in utroque cadavere praesertim vero secundi foetus valde fornicatum erat, aut potius videbatur, ob deficientem ejus lateralem expansionem. Cor apud ambos in statu foetali, ductu arterioso et foramine ovali apertis. Pulmones prioris infantis pro maxima parte statum foetalem monstrabant: pulmo sinister nullam aerem continebat, sed faciliter inflari poterat, etiamsi nonnullae partes aeri imperviae remanerent. Pulmo dexter pro parte emphysemate affectus erat, pro parte atelectasis aderat, lobus superior prorsus aeris indigebat, vel minima ejus frustula statim in aqua subsidebant; lobus medius pro parte, infimus prorsus, emphysemate affectus erat. Pulmo dexter alterius infantis prorsus aere repletus erat, prorsus etiam ad superficiem emphysemate affectus. Thorace aperto nequaquam collapsus est. Pulmo sinister pro maxima parte atelectasi correptus erat, et quidem suprema pars, in parte vero infima atelectasis atque emphysema per vices quasi aderant.

*Haemorrhagiae post partum.*

Ter leviores post partum haemorrhagiae sine effectu noxio adfuerunt, dum duobus in casibus gravior haemorrhagia occurrit. Semel metrorrhagia satis gravis tum interna tum externa observata est in muliere sana, saepius partum enixa. Partu feliciter peracto, uterus immediate sese contrahebat, at vero post horam et dimidiam subito sanguinem defluere mulier sentiebat et quidem admodum copiose. Simul uterus distensus erat, mollis, sanguine ut exploratione interna patuit partim fluido, partim jam coacto repletus. Manu coagula ista prudenter remota sunt, simulque epithemata frigidissima abdomini imponebantur, dum manipulationibus externis subinde factis, uteri contractio promovebatur. Hisce remediis brevi stetit haemorrhagia, aderat autem metus ne denuo oriretur propter imperfectam uteri contractionem, quamobrem secale cornutum (gr. v. pro dosi) praescriptum est, et quidem optimo eventu. Mulier etsi primis diebus sanguinis jactura debilis esset, brevi tamen restituta est.

Altera haemorrhagia gravior, accidente febre puerperali, nisi morti ansam dederit, eam saltem sine dubio acceleravit.

minimis oratione, stimulis oratione ab ardore  
cum pressione à lev. &c. ex sudore invenerit, sive  
sibus disticti sibios invenerit. musculos enim  
superiorum ab inv. a sudore motu corporis inv. animi  
superiorum minus deo. respiratione corporis motu inv.  
et sudore inv. corporis superiorum, sicut et ex sudore  
corporis inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv.  
inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv.

#### CAPUT IV.

Exponit inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv.  
Bis illa pars se Puerperium. ex inv. inv. inv.  
condit he inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv.  
de inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv.  
truncus inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv. inv.

Puerperium in omnibus fere casibus, si gastricus  
mum leviorem et semel observatam diarrhoeam ato-  
nicam, tonicis remediis facile debellatam, excipias,  
prosperum decursum habuit. Quater mastitis, jam  
durante graviditate orta post partum in suppurationem  
transiit. Bis peritonitis aliquo post partum tempore  
orta est, dum in duobus aliis casibus febris puer-  
peralis morti ansam praebuit.

*Peritonitis gravis vicesimo post partum die orta;*  
*notabile in abdomine exsudatum; reconvalescentia*  
*valde protracta.* — GEERTRUIDA K..., 21 annos  
nata, primipara, propter anginam syphiliticam et  
propter condylomata et fluorem album pertinacem in-  
eunte mense Martio in Clinico chirurgico recepta,  
pro usu interno joduretum hydrargyri accepit, extus

lotionibus de mercurio sublimato corrosivo adhibitis. Hoc tempore graviditas ad  $5\frac{1}{2}$  vel 6 mensem progressa videbatur. Pulsationes cordis foetalis audiebantur, uti quoque motus foetus a grava percipiebantur; aliquo autem tempore post sensim sensimque debiliores fiebant, tandemque prorsus cessabant. Die 20 Martis dolores subinde oriebantur, diebus insequentibus persistentes, ita ut partum instare certum fieret. Tribus diebus post (23 Mart.) hora 6 post meridiem ostium ad florenae magnitudinem apertum erat, et ita celeris erat partus decursus ut brevi post totus foetus natus sit, brevi ac sine ulla difficultate insecura placenta. Foetus circiter ad initium septimi mensis pervenisse videbatur, sed absque ullo dubio jam per 10 aut plures dies mortuus fuerat.

Puerperium regulare fuit, et post 14 dies mulier Tococomio sana dimissa est; sex vero diebus post rediit cum vehementioris peritonitidis symptomatibus, narrans se jam anteriori die doloribus gravibus vexatam fuisse. Dolor imprimis vehemens erat ad sinistrum abdominis latus, quo ne levis quidem attactus ferebatur. Venter tumebat, pulsus celer, frequens ac parvus erat, facies anxia et collapsa. Recepta est, ut per se patet, in Clinico aegrotans ibique curata est. Hirudinibus imminuto dolore patuit magnam exsudati, ut videbatur satis consistentis, copiam sinistro latere in regione hypogastrica adesse. Vesicatorium impositum est, intus propter periodicos etsi irregulares febris exacerbationes sulphas chinini saepius administratum est, postea cortex peruvianus praescribebatur. Sanatio lentissime

obtinuit, sensim exsudatum resorbebatur, at vero quo tempore mulier Nosocomium reliquit non prorsus disparuerat. Aliquot vero mensibus post nil de eo sentiendum erat.

*Peritonitis vehementissima tertia post partum hebdomade orta, in muliere durante partu gravi uteri spasio affecta; morbus valde protractus; diurna convalescentia.* — JOHANNA L..., 24 annos nata, puella robusta, admodum plethorica, die 26 Martis anni 1852, obortis ad partum doloribus in Tococomium venit. Ostio plane aperto, dolores vehementissimi facti sunt, irregulares, spasmodici, qui dicuntur, quibus caput nullo modo propellebatur. Abdomen paullo supra symphysis ossium pubis valde dolebat, ibique perspicue uteri locus constrictus sentiri poterat. Pulsus plenus erat, frequens, facies calida, ruberrima, cephalalgia vehemens. Instituitur venaesectio unciorum xij, non vero sedato spasio et pulsu pleno manente, iterum eadem sanguinis quantitas detrahitur, eo quidem effectu ut brevi post spasmus plane sublatus sit et infans nasceretur.

Puerperium nil notatu dignum obtulit, et 12 post partum die mulier sana Tococomium reliquit. Post hebdomaden autem rediit, dolorem ingentem per totum ventrem accusans; vehementissimus autem erat in regione hypogastrica, levissima pressione valde aductus; pulsus admodum frequens, tensus, parvus erat; facies anxia; lingua sicca; sitis magna; jam per duos dies dolores, narrante aegra, adsuerant. Statim in Clinico interno recepta est; hirudines duodecim ventro imponuntur,

dum pro usu interno calomel cum opio praescribitur. Die in sequenti et tertio hirudines iterum applicantur, a calomelane vero propter diarrhoeam ortam desisti debuit. Dein solummodo demulcentia cum opio sumsit. Hypogastrio dextro amplum vesicatorium impositum est, postquam hirudines symptomatum vehementiam sustulerant. Venter autem semper dolebat atque tumidus erat, lingua rubra et sitis inexplibilis manebat. Postquam autem haec conditio per aliquot dies duraverat, per duos dies apparuit aegram post meridiem insigniter sudare, dum pulsus simul longe frequentior atque minor fiebat, vespertino tempore sudor evanescerat atque pulsus, quamvis parvus esset, minus tamen frequens erat. De frigore non constabat. Vespertino secundi diei tempore sulphatis chinini gr. xij, cum opii gr. j propter conditionem intestinorum irritatam, pulverum forma praescribebantur, qui pulveres durante nocte sumebantur, et tempore matutino iterati sunt. Intestina sulphatem chinini bene tulerunt, ita ut sudor evanuerit. Ab hoc inde tempore solummodo demulcentibus atque nutrimentis blandis usa est aegra. Post aliquod tempus rursus intermittentis febris nunc satis perspicua symptomata insecuta sunt, quae sulphatis chinini administratione cesserunt.

Post priorem sulphatis chinini administrationem convalescentia intrare coepit, aderat magna exsudati in abdomine quantitas, lente imminuens. Convalescentia diu admodum duravit, attamen prorsus sanata mulier Nosocomium reliquit, remanente in

abdomine exsudati parte, sensim sensimque deinde resorpta.

*Febris aliaque symptomata brevi post partum ex metu febris puerperalis orta.* — MAGDALENA S....., 25 annos nata, primipara, die 2 mensis Januarii 1852 satis prosperum partum peregerat. Vespertino tempore alterius diei pulsus erat frequentissimus, parvus, facies inflata, valde anxia, cephalalgia vehe- mens, appetitus deletus, sitis inexplebilis, lactis secretio parca, corpus sudore tectum, lochiarum fluxus normalis. De inflammatione autem nihil patebat, brevique apparuit nil aliud nisi anxietatem hisce symptomatibus ansam praebuisse; verebatur etenim mulier, ne ut amica febre puerperali brevi ante mortua eodem morbo corriperetur. Symptomata, postquam allocutione quieta facta est, sub julapii usu immi- nuerunt et intra nychthemerum plane disparuerunt.

*Febris puerperalis; lentus morbi decursus; eventus lethalis.* — ALIDA VAN W....., 27 annos nata, primipara, durante graviditate in Nosocomio civili syphilidis causa recepta erat, atque die 25 mensis Julii anni 1853 in Tococomium venit. Uteri fundus tunc manus palmam supra umbilicum elevatus erat et gra- viditas ad  $7\frac{1}{2}$  mensem progressa videbatur. Die 5 Augusti hora 4 matutina exploratione interna patuit partum incepisse atque ostium uteri fere ad florenae magnitudinem apertum esse. Partus regulariter pro- cedit, ita ut hora nona et dimidia peractus esset. Die ante partum febre corripiebatur, durante partu adhuc praesenti. Per dies insequentes, si lochias justo for-

tiores atque olentes, febremque leviorem cum vespertina exacerbatione excipias, satis bene sese habebat nullumque dolorem ne pressione quidem percipiebat, quo tempore aquae chlorii unc.  $\beta.$ —unc. xij aquae usa est foemina. Die 8 dolorem puerpera accusabat molestum in ventre, praecipue in regione hypogastrica dextra, pressione imminutum, qui dolor autem catalplaste calido applicato pro maxima parte evanescebat. Duobus sequentibus diebus conditio fere immutata mansit, de dolore non queritur puerpera, pulsus frequens manet, appetitus parvus est, dolor abest, lochia imminutae sunt, semper male olentes.

Die 11 diarrhoea orta est, sub vesperam aegra leviter delirat, febris fortior est, sudor copiosus, cephalgia. Sequens remedium praescribitur:

R. Solut. saleb ser. ij—unc. viij.

Laud. liq. Sydenh. gtt. xvij.

Syr. simpl. unc. j.

Quali potionem per duos dies usa est, tunc vero diarrhoea emendata ab usu remedii destitimus.

Die 13 propter exacerbationem febris vespertinam, quae cum frigore inciperat, cui sequebantur calor, deinde sudor mixtura sequens propinatur:

R. Sulph. chinin. gr. xij.

Acid. sulph. dil. q. s. ad sol.

Aquae depuratae unc iij.

Laud. liq. Sydenh. gtt. xvj.

Syr. comm. unc. j.

m. d. s. o. h. c.

Febrifugum remedium sequenti die assumtum est,

non vero magnos edidit effectus, etsi exacerbatio minus vehemens vespertino tempore rediret.

14 et 15 Aug. Conditio fere eadem manet, nulla symptomata notatu digna adsunt. Hacce mixtura utitur aegra:

R. Extract. gram. unc. j.

Mucil. g. arab.  $\overline{aa}$ .

Laud. liq. Sydenh. gtt. xij.

Aquae depuratae unc. x.

m. d. s. o. h. c.

16 Aug. Ob strictiorem alvum laud. liq. Sydenh. e mixtura omittitur. Vespertino tempore febris exacerbatio oritur et nova diarrhoea cum torminibus, quapropter mixturae additur syr. papav. alb. unc. j.

17 Aug. Nulla fere conditionis mutatio, diarrhoea pergit et durante die sputa cruenta nonnulla tussi excernuntur. Pectoris autem exploratio nil docet. Propter tuessim satis molestam mixturae aqua laurocerasi additur.

19 Aug. Tussis parumper imminuta est, sputarum excretio cessavit, ceteroquin sudor adest copiosus, febris cum mentis aberratione, carotides satis fortiter pulsant, facie autem collapsa oculisque nullo modo splendentibus, pulsus sensim debilior factus est. Nutriendi scopo praescribitur dec. alb. Sydenh. unc. x. cum ovis N°. ij, dum propter remanentem intestinorum irritationem et nisum in diarrhoeam solutione saleb utitur aegra.

20 Aug. Durante nocte intense friguit puerpera, delirium adfuit, matutino tempore sudor copiosus erum-

pit cum pulsu frequentissimo et debilissimo. Iteratur dec. alb. Sydenh. Interdiu diarrhoea cessavit. Vespertino tempore fere a febre libera est aegrotans, quam obrem pilulae sequentes praescribuntur:

R. Sulph. chinin. gr. xij.

Opii depur. gr. j.

Extr. liq. q. s. ut f. pil. N°. xij.

s. o. h. 3 pil.

21 Aug. Invito sulph. chinini frigus nocte rursus intravit et matutino tempore rursus sudor copiosus cum pulsu frequentissimo, debilissimo, dum tussis iterum aucta est. Percussionis sonus editus in sinistro latere parumper obtusior videbatur quam in opposito, auscultatione nihil docente. Sequens demulcens praescribitur:

R. Decoct. lich. crisp. scr. ii—unc. j.

Aqua laurocer. dr. ij.

Syr. papav. rhoead. unc. j.

m. d. s. o. h. c.

Hora secunda post meridiem frigus rediit et ad horam quintam perstitit, quo facto rursus sudor erupit copiosus. Interim delirat aegra, accedit decubitus neglectus, cum alvi et urinae incontinentia et magna indifferentia. Venter tympanitide fortiter expanditur.

22 Aug. Pulsus frequentissimus est; cordis motus, qui intra secundam et quartam costam percipiuntur, vehementiores sunt. Respiratio brevis, percussionis sonus in utroque latere obtusus; stethoscopii ope cordis soni male distinguuntur.

Etsi de pleuritide nil pateret, videbatur quaedam

seri quantitas in pleurae saccis adesse, dum cordis motus irregulares, soni ejus male audit, ictus insolito loco perceptus metum injiciebat, ne in pericardii cavo quoque exsudatio obtinuisse. Propter magnam aegrotantis anxietatem hirudines vj pectori imponuntur; nullo vero, uti exspectaveramus, effectu. Vespertino tempore die 18 post partum moritur aegra.

*Sectio cadaveris 38 horis post mortem.*

*Cranii cavitas.* — Dura meninx prope sinum longitudinalem cranio fortiter adhaerebat, cerebri superficies externa hyperaemica, dum cerebrum ipsum parum sanguinis continebat.

*Pectoris cavitas.* — Cordis situs mutatus erat, et quidem ita ut intra 2—4 costam superiora versus atque sinistrorum magis jaceret. Cor sinistrum sanguinem non continebat, ejus substantia emollita erat, colore fere violaceo tineta. Dextrum cor magna adipis quantitate obtegebatur. In pericardii cavo satis magna liquoris violacei, adipem continentis, copia aderat. In utroque pleurae sacco serum, etsi non insigni quantitate, inveniebatur. Pulmones ipsi sani erant.

*Abdominis cavitas.* — Aperto abdome intestina aere admodum expansa foras egrediuntur. Peritonaeum parietale pallidum erat, inflammationis signa non praebens. Hepatis capillaria aere repleta invenimus, lien magnum, pultaceum. Dextrum ovarium cum tunica serosa intestini ilii concretum erat, quo loco perforatio intestini inveniebatur, quae ab externa parte anteriora versus progressa erat. Sinistrum ovarium

cum intestino recto et flexura sigmoidea concretum atque perforatum erat. Utrumque ovarium pure repletum erat.

Alia peritonitidis signa non conspicua erant.

Uterus normalis erat, serosa superficies non laevis quidem sed non inflammata. Locus autem, quo placenta adnexa fuerat, mollior erat, profundius colorata, ita ut hic endometritidem adfuisse suspicari posses.

*Gravis post partum haemorrhagia; febris puerperalis pyaemica, cum peritonite secundaria et eventu lethali.* — CHRISTINA VAN DER K..., 20 annos nata, puella paupera, debilis, scrofulosa, malo vitae generi dedita, primipara, die 3 Novembris hora 9 vespertina satis prosperum partum enixa erat. Utero bene contracto, tribus autem horis post cum urinam emittere vellet et hoc scopo fortius se moveret, magna sanguinis copia repente e vagina fluxit et fere statim lipothymia orta est. Metrorrhagia detecta statim ab adstantibus epithemata frigida ventri imposita sunt, quo facto brevi imminuebatur effluxus. Sanguinis jactura feminam vehementer affecerat, facie pallidissima decumbebat, labiis pallidis, pulsu frequentissimo, parvo, atque valde inquieta erat, ita ut, quamvis ei quietem absolutam suaserimus, tamen in lecto huc atque illuc perpetuo sese jactaret, nunc crura attrahens, nunc extendens. Aderant simul vertigo, anxietas praecordialis, nausea. Sanguine continuo, licet parva admodum copia, adhuc e vagina effluente, ute-roque imperfecte contracto drachma dimidia secalis

cornuti in 6 pulveribus praescribitur, quorum omni horae quadrante unus sumendus erat. Brevi nunc uteri contractio secuta est, conspicua ex fundi ejus duritie, oborto simul dolore in lumbis, veris ad partum doloribus simili. Puerperae conditio per tres priores dies non infesta dicenda erat, si debilitatem magnam, pulsuumque frequentiam excipias; lochia coagulis mixtae satis copiosae fluebant, atque lactis secretio parca erat.

Die 6 Novembris vero vespertino tempore dolor ingens in regione hypogastrica ortus est, pressione tamen fortiori fere disparens; febris aderat atque frigoris sensus, sese prodens horripilationibus; lingua pallida erat, lochia male olebant.

Cataplasma tepidam abdomini impositum dolorem parumper mitigavit.

7. *Nov.* Aegra in eadem conditione; dolor semper adest, uti heri pressione immunuta, gravis cephalgia, sequens medicamentum adhibitur:

R. Decoct. alb. Sydenh. unc. xij.

Laud. liq. Sydenh. gtt. xxiv.

Aquae Chlorii dr. ij.

Syr. Simpl. unc. j.

m. d. s. o. h.  $1\frac{1}{2}$  c.

Vespertino tempore eadem fere hora ac praegresso die rursus horripilationes oriuntur, quapropter cum febris intermittens fortasse subesset, in aegra debilissima profecto statim tollenda, sulphas chinini propriatum est modo sequenti:

R. Sulph. chinin. gr. xij.

Acid. sulph. dil. q. s. ad sol.

Pulv. g. arab. unc. j.

Aqua depuratae unc. vj.

Syr. papav. alb. unc. j.

m. d. s. o. h. c.

Sub usu hujus mixturae rursus frigus accedit cum calore et sudore insequente. Dolore in regione hypogastrica, imprimis sinistro latere, persistente, etiamsi semper pressione imminuto, inflammationem nihilo minus vel uteri vel peritonaei metuimus, ideoque largum vesicatorium dolenti loco imposuimus.

8 Nov. Matutino tempore gravis in ventre dolor adest cum ischuria, post cataplasma adhibitum non sublata, quapropter catheteris ope 16 urinae unciae statim imminuente dolore emittebantur; dein clyisma adhibitum est, cui quater alvi depositio insecuta est.

Praescribuntur decoct. alb. Sydenh. unc. xij, additis vini Rhenani unc. iv, qua potione pro potu utitur aegra, propinato simul dec. cort. peruv. f. sequenti ratione:

R. Cort. peruv. f. unc. β.

Coq. l. a. ad col. unc. vj.

P. g. arab. unc. j.

Acid. muriat. dil. dr. ij.

Syr. simpl. unc. j.

m. d. s. o. h. c.

Vespertino tempore aegra in eodem statu, praeter febris exacerbationem ordinatam. Nausea interdum adest, quin vomitus etiam, quo brevi ante assumta e ventriculo rejiciuntur.

9. Nov. Imminuta aliquantulum est pulsuum frequentia, ceteris iisdem manentibus, eademque cura adhibita. Decocto corticis tantum, ut melius illud ferret ventriculus, laud. liq. Sydenh. additur. Per hunc et praecedentem diem dolor parvi momenti erat, pressione semper potius imminutus quam auctus; uter tamen volumen solito majus erat. Lochiae sanguinolentae cessaverant.

10 Nov. Matutino tempore puerpera collapsa est, venter valde tumidus cum dolore saevissimo nocturno tempore oborto, pressione leviori adauerto, peritonitidem secundariam cum copiosa exsudatione accessisse patuit. Vesica urinaria valde extensa, catheteris ope 20 unciae urinae emittuntur. Sex hirudines ventri applicantur et sanguinis fluxus per horam et dimidię per cataplasma sustentatur. Iter. dec. alb. Sydenh., vini Rhenani lagenā dimidia praescribitur, simulque in usu corticis peruviani pergitur, omissō vero acido muriatico diluto. Vespertino tempore insigniter collapsa est aegra, pulsus debilissimus est, carotides autem fortiter pulsant. Admodum tumet abdomen semperque etsi minus dolet. In desperata conditione praescribuntur pulveres sequentes:

R. Moschi gr. vj.

Extr. op. aq. gr. iij.

Sach. alb. dr. j.

m. f. pulv. aeq. N°. vj.

d. s. o. h. p.

Vitam vero fugientem moschus retinere nequit, jam brevi oritur ronchus mucosus fortis, deglutitio sensim sensimque difficilior fit et post longam agoniam

die sequenti (nono post partum) hora prima post meridiem moritur aegra.

*Sectio cadaveris 20 horis post mortem.* — Praeter crustas multas favosas in capite atque maculas cadaverosas ad dorsum imprimis, viridemque ventris valde tumentis colorem, adspectus cadaveris nil insoliti praebebat. Nihil in cranii neque in pectoris cavitate repertum est. In abdominis vero cavo multa morbosa aderant. Uterus erat magnus, flaccidus; placentae insertionis loco multus detritus erat, qui faciliter aqua diluebatur, *nulla endometritis neque phlebitidis uterinae vestigia.* Serosa uteri erat opaca, parumper rubro colore tineta, etiam peritonaeum cavi abdominis splendore orbatum erat, pauca tantum inflammationis vestigia referens. In abdominis cavo permagna partim serosi partim plastici partim purulenti exsudati copia aderat, intestina tenuia hic atque illic exsudatione plastica invicem leviter adhaerebant. Coagula in vasis non inveniebantur.

*Epicrisis.*

Causa e qua morbus in utroque casu ortum duxit, ut mihi videtur in sanguinis crasi abnormali quaeri debet. In primo enim casu mercurialibus et quidem mercurio sublimato corrosivo per longum tempus, ut ex anamnesi patuit in Nosocomio civili, in quo propter graviorem syphilidem recepta fuerat, curata erat mulier, dum in altero casu mala jam per se sanguinis crasis, chlorotica scilicet, insigni sanguinis post partum jactura multo adhuc vitiata est. Utrum quoque secalis

cornuti administratio deficiente uteri contractione utique indicata, validiores hujus organi post partum contractiones provocando ad producendum morbum aliquid contulerit, affirmare non auderem. De contagio suscepto sermo esse non potuit, nam prior mulier in Nosocomio civili, ubi gravidae non recipiuntur, per longum tempus degerat, dum in Tococomio febris puerperalis per plures menses non adfuerat et praeterea nemo nostrum puerperas febre correptas adierat. Aequo minus contagium in cadas veribus productum, si morbum producere possit, de quo multi adhuc dubitantur, hic accusandum est.

Forma sub qua febris puerperalis hisce in casibus sese ostendit, *endometritis* erat puerperalis, etsi potius signa sic dictae pyaemiae observarentur, quod plerumque fit teste KIWISCH VON ROTTERAU dicente: „Naardien het slijmylies der baarmoeder bij dezen ziekteform voornamelijk is aangedaan, wordt deze vorm van kraamvrouwenkoorts endometritis genaamd, waarbij men echter in het oog moet houden, dat het plaatselijke ziekteproces in de baarmoeder volstrekt niet het hoofdverschijnsel der ziekte is, daar dit vooral in het vorhanden bloedlijden is gelegen.” (1). Symptomata pyaemica praecipua erant horripilationes cum calore alternantes, febris et insignis virium lapsus, quibus in priori casu diar-

---

(1) KIWISCH VON ROTTERAU, Klinische lessen over de ziekten van het vrouwelijk geslacht en hare behandeling. Vert. door Dr. P. PEELLEN. Tiel 1852, Dl. I, pag. 452.

rhœa accedebat. Dolor in regione hypogastrica pressione externa fortiori imminutus primum aderat, qui dolor magis spasmi characterem praese se ferebat, atque cataplasmate applicato allevabatur. Lochiarum fluxus justo fortior, atque ingratus illarum odor primo in casu ulceribus, quae aderant syphiliticis et profusae leucorrhœae jam dudum praesenti, in altero profusae muci purulenti secretioni e vagina tribui poterat, dum neque in uno casu nec in altero colli uteri inflammatio aderat. Demum diarrhoea in priori casu cum febre persistente et horripilationibus febris puerperalis praesentiam indicabant. Diarrhoea localisationis febris puerperalis suspicionem movit. Quae diarrhoea post mortem, ut sectio cadaveris docuit, pro maxima parte perforationi intestini tribuenda fuit, quippe cui inflammatio etiamsi circumscripta cum insequente ulceratione necessarie procedit. In alvo puris praesentia non detecta est, fateri autem debemus microscopicam inspectionem non obtinuisse.

Inflammatio verosimiliter proserpsit ab utero ad ovaria; haec cum intestino adjacente concreverunt et per gente inflammatione perforatio insecuta est. Dein membranae mucosae bronchorum affectio novae in pulmonibus localisationis metum suscitavit, sed per breve tantum tempus, neque pericarditis, quae ob sonos cordis minus distinete audiendos et percussionem in majori extensione obtusam et mutatum cordis situm suspicabatur, docente autopsia adfuerat. Haec affectio, ut mihi videtur, potius malae innervationi vitiata sanguinis crassi productae, quam novae symptomatum

localisationi, ut etiam postea sectio docuit, tribuenda. Pulmones sani erant, dum respiratio per ultimos dies brevis et difficilis, tum quoque mutatus cordis situs ex abdomine fortiter tumido diaphragma sursum in pectoris cavum premente promptam explicationem habent. In secundo autem casu sanguinis jactura et insignis hoc modo producta anaemia morbo ansam dedit, quod frequentissima comprobatur experientia. Etiam hic me judice affecta in initio fuit mucosa uteri; etiam hic omnia symptomata pyaemiae sic dictae aderant, dum tandem die 10 Novembris subito localisatio obtinuit, peritonitidis vehementis signa producens, qua intra paucas horas profusa admodum exsudatio in abdominis cavum producta est.

Deficientia coagula in vasis formam pyaemicam non excludunt, ut testatur KIWISCH VON ROTTERAU, (1) „Tegenwoordig beschouw ik de pyaemische crasis als „het primitieve en de stremmingen in de vaten be- „nevens de zoogenaamde metastasen als het secundaire „verschijnsel, als de plaatselijke uitdrukking van de „bestaande bloedziekte, terwijl de beide verschijnselen „(stremming en metastasen) in geen noodzakelijken „innigen zamenhang tot elkander staan.”

Medicatio in utroque casu symptomatica esse debuit, antiphlogisticorum enim remediorum usum et sanguinis crasis et primo in casu intestinorum status irritatus contraindicabat; demulcentia, roborantia, et nutrientia blanda vires sustentandi scopo indicata

---

(1) O. C. t. I, p. 421:

erant, dum sulphatis chinini usus judice in utroque casu non permissum tantum sed indicatum erat. Ubi enim in tam gravi conditione, qualis hic aderat, de praesente vel absente febre intermittenti dubitatur, propinandum remedium est. Eo nimurum non utentes, si indicatum erat, aegris summopere nocuissemus, dum contra remedium in febre continua, pyaemia sustentata ac producta nocere nequit, si justis cautelis adhibetur. Addendum adhuc in priori casu, narrante muliere, ante partum intermittentis febris insultum adfuisse. An vero hoc in casu ovariorum inflammatio, aut potius exitus ejus in ulcerationem, jam tunc obtinuerit, neque affirmare nec negare possumus.

Sanguinis detractiones universales non indicatas fuisse, cuique facile patebit, idemque de topicis valet. Crasin sanguinis emendare, si fieri poterat, unicum erat, quod aqua chlorii, acido muriatico, cortice peruviano, blandisque nutrimentis conati sumus, sed frustra.

## C A P U T V.

### NEONATORUM MORBI.

---

Ad neonatorum morbos, qui in Tococomio observati sunt, pertinent ophthalmiae purulentae leviores atque graviores. In levioribus casibus sola mundities interdum sufficiebat, in aliis solutio de nitrate argenti gr. i—unc. j. instillabantur, in gravioribus injectiones de nitrate argenti fiebant. Sine ulla exceptione matres fluore albo pertinaci, excoriationes in labiis majoribus et cruribus saepe producente, laborabant. Aphthae non raro observatae sunt, quae peculiarem curam non requirebant; in levioribus casibus mundities sufficiebat, in gravioribus linimentum de borace cum melle communi vel syrupo violarum brevi sanationem afferebat.

*Trismus et tetanus.* — Unus infans trismo 6 post partum die affectus breve mortuus est. Quum durante nocte valde inquietus fuisset, atque sugere noluisset, hora 10 matutina patuit infantem trismo

affectum esse, causa tamen e qua ortus erat latebat. Praecedentibus diebus perfecte sanus fuerat; de inflammatione vel hepatis vel venae umbilicalis vel alias cuiusvis partis nulla aderant symptomata. Alvus solummodo non copiosa erat. Infanti in balneum posito spasmi remittuntur, brevi tamen post redeunt.

Deglutitione non prorsus impedita syrupus rhei prescribitur. Spasmus non continuus erat, remittens cum in balneum reponeretur, nunc vero ad totum fere truncum extensus ut verus tetanus adesset. Plurimum mammam prehendere recusabat infans, interdum vero, spasio non soluto quidem sed imminuto per momentum sugebat. Hora nona vespertina, postquam paulo ante omnia trismi ac tetani symptomata disparuerant, infans subito e vita decessit.

*Sectio cadaveris* 45 horis post mortem de conditione morbosa nil docuit, omnia organa prorsus sana habebantur. Hepatis hyperaemia levis aderat dum in abdominis cavo parca liquoris serosi quantitas reperiebatur. Systema nervosum nil abnormalis praebuit.

*Mors durante partu.* Infans JOHANNAE M....., de qua pag. 13 locuti sumus, durante operatione uti jam diximus mortuus erat; cadaveris sectio 36 horis post mortem instituta est, et sequentia docuit: hyperaemia insignis adest cerebri atque meningum, sanguis extravasatus invenitur circa medullam oblongatam praecipue supra duram matrem, sed etiam inter hanc et piam meningem. Medulla oblongata ipsa, quantum videre potuimus, nil abnorme praebebat. Etiam hyperaemia intestinorum in abdominis cavo contentorum aderat.

Capitis cum atlante articulatio valde mobilis atque infirma erat, ita ut laesioris hujus articulationis suspicio orta sit, quod autem non ita erat. Apoplexiae medullae tum insigni cerebri hyperaemiae mors tribuenda fuit.

*Mors infantis durante partu apoplectica, cephalae-matomate producta.* — Nupta quaedam mulier die 23 Januarii 1853, infantem mortuum pepererat, dum partus decursus nihil obtulerat, ex quo ejus mors explicari poterat. Infans non valde evolutus, attamen maturus erat, unguis bene formati erant, venter tumebat, testiculi ambo in scroto aderant.

Cadaveris sectio sequentia docuit:

*Caput.* Fortis hyperaemia cum sanguine extravasato infra integumenta communia, tam supra, quam infra galeam aponeuroticam. Majores minoresque sanguinis extravasationes erant praecipue in musculis temporalibus, qui sanguine extravasato valde tumescabant. Fortis cerebri atque meningum hyperaemia. Magna liquoris cerebro-spinalis copia, quae, quum reunio inter caput et atlantem solvebatur, quasi per syphonem emittebatur.

*Thorax.* Pulmones aerem non continent, thoracis venae admodum replete sunt, multum serum limpidum in pleurae saccis adest. In media pulmonis sinistri parte, paululum posteriora versus, locus inventitur pollicis unius diametri, durior quam reliquae pulmonis partes, intense rubro colore tinctus (hepatisatio, pneumonia circumscripta); sola haec pars aeri inflato impervia est, caeterae partes facile aere

expanduntur. Pone locum inflammatum parca sanguinis extravasati copia adest inter pleuram pulmonalem et pulmonem ipsum. In pericardio multum serum invenitur, venae injectae, cor sanguine atro et coagulato prorsus repletum.

*Abdominis cavum.* Hepar permagnum, non valde hyperaemicum, vesica fellea repleta, lien magnum, non multum sanguinem continens, mesenterii venae atque mesocoli modice repleta sunt. Ut in cranio et thorace et in abdominis cavo magna seri quantitas adest spissi, glutinosi, non sanguinolenti. Vesica urinaria multum urinae continet.

*Placenta* fere exsanguis erat, vasa foetalia medio-criter repleta sunt, parenchyma ipsum, durum atque siccum, nil abnormale praebebat. Funiculus admodum crassus erat. Vasa umbilicalia bene patebant inde a placenta ad medium funiculum fere, ab hoc vero loco ad eum, quo ligatura adplicata fuerat, arteriae non quidem clausae erant, sed admodum angusta, ita ut tantum tenuissimum specillum admitterent. Hic atque illic in vena diverticulum coagulato sanguine repletum aderat. Arteriae quoque ad locum usque, ubi earum lumen minus fiebat, sanguinem continebant, ab hoc vero loco usque ad ligaturam vacua erant. Quum funiculi pulsationes post foetum natum non adfuerint, fere certum est jam ante eum natum hanc partem sanguinem amisisse. Notatu etiam dignum est per longitudinem fere duorum pollicum Parisiorum tres loco duarum arterias adesse. Ramus ex altera arteria profectus, ejusdem fere luminis ac arteria ipsa, post

decursum duorum pollicum in alteram arteriam transibat.

Funiculi pressio atque sanguinis refluxus impeditus causae mortis apoplecticae infantis habendae sunt.

Num vero contractio arteriarum jam antea adfuit? Probabile non est. Sola enim pressione fortiori et diu protracta, status vacuus et arteriarum contractio me judice explicari possunt. Etiamsi quoque lumen arteriarum jam antea imminutum fuisse, id causa mortis esse non potuit. Infans enim maturus erat, sane nutritus, dum pulsationes ejus cordis durante partu perfecte percipiendae erant.

*Mors foetus apoplectica, cephalaeatomate producta.* MARIA V. ...., 35 annos nata, 15 Martis die partum satis prosperum peregerat. Foetus autem mortuus erat.

*Autopsia* sequentia docuit:

*Cranium.* Sanguis extravasatus est intra galeam aponeuroticam ossis parietalis sinistri, quo loco caput succedaneum adfuerat. Totum os sanguine imbutum est. Crani<sup>i</sup> ossa valde mobilia, ita ut et ossa frontis et os occipitis faciliter et notabili gradu sub ossa parietalia moveri possint. Durae atque piae meningis vasa valde repleta sunt.

*Thoracis cavitas.* Thoracis venae sanguine replete sunt, pulmones inferiorem ejus locum occupant facile aere replentur. In pericardio cochlear seri limpidi adest. Venae coronariae valde replete, dum in corde ipso magna liquidi sanguinis copia aderat.

*Abdomen.* Omnia organa hyperaemia affecta, prae-  
sertim hepar, uti etiam renes, vesica fellea parum  
repleta est. Magna liquoris serosi quantitas in ab-  
dominis cavo, nullum peritonitidis vestigium. Uterus  
sanguine valde repletus erat.

Sanguinis fluxus impeditus hoc in casu certe mor-  
tem attulit; quomodo fere obtinuerit pressio, circu-  
lationem ita turbare valens, non patuit. Verosimile  
quidem est arterias umbilicales compressas fuisse,  
probari autem haecce sententia nequit.

*Mors infantis sexto post partum die.* — GERRITJE  
DE V..., 33 annos nata, primipara, 11 Aprilis  
die partum peregerat. Infans asphyctice clunibus  
praeviis natus debilis erat, neque prorsus matu-  
rus, unguis breves atque tenues erant, multa lanugo  
adhuc aderat.

Sexto die vespertino tempore infans, antea debilis  
quidem, at vero nulla aegritudinis symptomata ostendens,  
coeruleus et moribundus inveniebatur. Dum  
per plures horas mammam prehendere noluerat, post  
meridiem parca puluis copia ei data erat, breve  
post infans coeruleus fiebat et levioribus convulsio-  
nibus corripiebatur.

Balneum tepidum administratum est sine effectu,  
atque matutino tempore diei insequentis extinctus est.

*Sectio cadaveris 48 horis post mortem.* Pulmones  
sani, aere repleti sunt. In corde dextra nigri glu-  
tinosi sanguinis copia invenitur. *Abdominis* organa  
anaemica sunt, *hepar* non praetermodum magnum.

*Meningum* hyperaemia fortis aderat, exsudatum serosum in arachnoideae saccis, cerebrum oedematosum atque molle erat.

*Meninges* spinales etiam hyperaemicae sunt.

*Meningum* hyperaemia unicum morbosum post mortem symptomata erat, neque sufficit hoc ad mortem explicandum.

*Ophthalmia purulenta pertinax.* — Infans e matre syphilitica natus tertio post partum die ophthalmia purulenta afficiebatur, prius oculo dextro, die insequenti quoque sinistro correpto. Sinister oculus intra quinque dies injectione de nitrate argenti facta sanata est; alterius oculi conditio primum quidem injectione emendabatur, dein vero in eodem statu manebat. Injectio fortior facta est, dein acidi tannici solutio injicitur, sed absque effectu notabili. Tandem sulphatis zinci solutio gr. ij—unc. j, sed frustra adhibetur, neque cauterisatio conjunctivae ope nitratis argenti fusi aliquid profuit. Suspicantes syphilidem forsitan ophthalmiae subesse pulveres de calomelanos  $\frac{1}{4}$  gr. bis de die praescripsimus, dum palpebrarum cum sulphate cupri semel de die cauterisatio fiebat. Emendabatur quidem conditio sed lente admodum. Iterum fiunt injectiones de nitrate argenti, dein de sulphate zinci, dum in usu mercurii dulcis pergitur. Tandem sanati sunt oculi.

Sex infantes debilitate universalis, primis post partum diebus mortui sunt, in quibus omnibus status pulmonum foetalis magis minusve notabilis reman-

serat. Statum istum mortem promovisse certum quidem est, debilitas autem infantum me judice in omni casu causa fuit deficientis pulmonum expansionis. Aerem inflando partes pulmonum densas, atelectasia affectas, semper sine magna difficultate expandere potuimus.

T A N T U M.

## THESES.

---

### I.

Errant qui, nervo vago dissecto, mortem laryngis paralysi tribuunt.

### II.

Succus pancreaticus non necesse est ad adipis absorptionem.

### III.

Non omnis hydrophobia morsui canis rabidi est tribuenda.

### IV.

In febribus perniciosis intermittentibus sulphas chinini administratio aliis de chinino praeparatis est praferenda.

### V.

Venaesectio nonnumquam convenit in typho.

### VI.

Irritationis symptomata in febre biliosa peri-

pneumoniam non raro simulantia a vera peri-pneumonia non nisi auscultatione et percussione distinguenda sunt.

VII.

In laryngitide exsudativa, solitis remediis in-cassum adhibitis, tracheotomia peragenda est.

VIII.

Pleurae inflammatio non semper thoracis para-centhesin vetat.

IX.

Tussis absentia pulmonum sanitatis docu-mentum.

X.

Inter remedia antisiphilitica joduretum potassii princeps habendum est.

XI.

Carcinomatis mammae operatio optime fit in iis casibus, in quibus morbus post laesionem ex-ternam prodiit.

XII.

In tumore erectili ligatura omnibus aliis methodis vulgo praeferri meretur.

XIII.

Fistulam ani in omni casu sanare licet.

XIV.

Haemorrhagia membranis intactis durante contractione e placenta praevia est.

XV.

Non dantur medicamenta, quae certo abortum producere valent.

XVI.

Versio in pedes in omnibus casibus versioni in caput praferendum.

XVII.

In placenta praevia venaesectio non semper contraindicatur.

XVIII.

Recte HENKE: »Selbst dann wenn man in einer Höhle des Körpers eine zureichende Ursache des Todes gefunden zu haben glaubt, ist es dennoch ratsam auch die übrigen Höhlen zu öffnen.

---